

Salutem et obedientiam.

2106

Illustrissime Domine Cardinalis Protector

Auditis rumoribus prius, postea rei veritate comperta de nova iterataque toties, etsi pluries abrenuntiata appellatione patris
5 f. Caroli Campigni ad Summum Pontificem, de hac commonere illustrissimam dominationem vestram operae pretium duxi. Cujus rei tandem recuperato instrumento ad R/dissimum Abbatem Generalem nostrum transmittito, ut per illud videre possitis quanta sit hominis calliditas et animi duplicitas, qui rebus omnibus pacatis, omnium pro-
10 borum applausu, factaque a se in generali Capitulo praesente et praesidente R/dissimo Abbate Generali ac Sanctissimi Domini Papae commissario delegato et ab Illustrissima Dominatione Vestra deputato adstantibus, item omnibus Venerabilibus totius Capituli Generalis patribus eadem auctoritate celebrato, publica solennique,
15 sed ementita, ut ipse fatetur, renunciatione: et hinc omnimoda ratione rerum praeteritarum publicata abolitione, pacis osculo dato inquam et accepto, scripto etiam ab eodem R/dissimo et R.p. Provinciali autentico instrumento et diplomate per quod omnium antiquorum provincialium gratias et privilegia ad famae et honoris s
20 sufficientem reparationem obtinebat. Iterum post requisitam et acceptam a Sanctissimo domino nostro papa, quem Deus nobis diu salvum Ecclesiaeque suae sanctae incolumem conservet, ab ordine nostro absolutionem et ad alium transeundi dispensationem et eo fine jam a nobis exierit prae nimia mentis inquietudine novos
25 molitur noxios nimium conatus: potitus denuo sibi dari in partibus novos judices et iterato ordinem nostrum sub vestro moderamine pacatum turbare et omnia pacis jurata jura confundere disrumperique.

Rogamus igitur illustrissimam dominationem vestram, sub cujus
30 protectione confugimus, quatenus dictus p.Campigny novarum litium autor apud Summum Pontificem minime audiatur, imo sub gravi censu-

/ ra ab iis abstinere cessareque coerceatur, ne iterum atque iterum
perturbet bonum sanctumque ordinem. Sit ipse cum nobis vivatque
quietus, ad quos transire desideravit, nostrumque deponat habitum
et ad nos transmittat. Quoobtento, pro incolumitate vestra Deum

5 opt. maximum exorabimus, sicut et exoramus, cum sim, Illustrissime
Domine Cardinalis Protector,

Vestrae dominationis illustrissimae obsequentissimus hu-
millimusque filius in Christo f. Joannes Boyron,

Coelestinorum Parisiensium Prior
immeritus

10 Hodie rex christianissimus e Parisiorum finibus egressus [est]
paratus ad bellum; nisi Deus pacem populo suo dederit, omnia in
ruinam eunt.

De nostra Coelestinorum Parisiensium cellula die 4/a Maii 1619.

15 Illustrissimo Domino Domino Cardinali S/tae Rom/nae Ecc/siae Bel-
larmino Coelestinorum Protectori Amplissimo. ~~Reman~~
Romam. (cachet)

Archiv. Postul. Bellarm. B Orig. manu Bell. (de travers): Res-
pondi die 27 junii 1619.